LUSUS ANAGRAMMATICUS,

VIRO

Præ-Nobilissimo, Ampliss. ac Consultissimo

DOMINO

JACOBO MEISNERO,

Consuli Civit. Thorun. dignissimo

SPONSO *desideratissimo*,

Ut &

VIRGINI

Nobilissimæ, omnique virtutum elegantia excultissimæ

BENIGNÆ THOMASIÆ

SPONSÆ *lectissimæ*,

Ipsa solenni tædarum die
Anno cIɔ IɔccXV D. 26 Novemb.
cum voto qualicunque nuptiali præsentatus
Ab

Henrico Reichelio,
Gymn. Coll.



THORUNII,
Impressit Ioh. Nicolai, NOBIL. SENAT. & GYMNASII Typographus.



*
** ** **

IACOBUS MEISNERUS.

per anagramma :

En, bis meus vocaris.

SPONSA AD SPONSUM.

❀ ❀ ❀ ❀

Bis meus en *tandem, Dulcissime Sponse*, vocaris,
Judicioque poli, judicioque soli.
Hinc quoque bis Tua sum, Svavissime Sponse, futura,
Tam pro velle meo, quam quoque velle tuo.

Mein Schatz/ gedoppelt bist du mein/ das zeigt Dein schöner Nahmen/
HIer trIfft es erst geseegnet eIn/ Dort sprCIht aVCh IesVs: aMen!

BENIG-

BENIGNA THOMASIA.

per anagramma:

Hei! Bonitas magna:

SPONSUS AD SPONSAM.

❁ ❁ ❁ ❁

Numinis hei! Bonitas *est semper* magna *Supremi:*

Hei! Bonitate Tua, Sponsa, *fac usque fruar.*

Numinis hei Bonitas ibi salvos reddet utrosq;,

Ast Bonitate tua hîc jam quoque salvus ero.

Nachdem des Höchsten Güt/ **mein Schatz/ Dich** heut mir hat gegeben/

So LaßhInfort In DeIner GVt MICh stets gerVhIg Leben.

❁ ❁ ❁ ❁

VOTUM NUPTIALE.

V os, *quos sancta Fides,* P*robitas quos ipsa Parentis*

Junxit, conjungat conjugialis amor.

Undique Vos *dives* Domini *benedictio cingat,*

Castorum celebrem quæ facit esse domum.

Det Tibi, SPONSE Deus TIBI *det quoq;*

SPONSA benignus

Tot bona, quot stellas summus Olympus habet.

Multa torum soboles fœcundet, paxque Supremi

N*obile ceu donum pectora Vestra beet.*

Exulet illa τύχη Ευριπος *nomine dicta,*

Acceleret contra G*ratia Diva poli.*

Vivite felices, attingite Nestoris annos,

Mors non Mors Vobis, *vita sed ipsa fiet.*

AH si flectentes animos modulamine cantus
Annuerent votis Delius atque meis.
Forsitan argutas quæ possent ire per aures
Concinerem thalamo carmina grata tuo.
Ne tamen officium tibi justum desit amici,
Inceptæ repetam fila canora lyræ.
Sol oritur, jam datque diem, jam lucet, eamus,
Plana sinisterior nec salebrosa via est.
Primus Hymen caram juveni carumque puellæ
Conjunxit juvenem certaque jura dedit.
Ante vagos hominum genus exercebat amores,
Nulla verecundi cura pudoris erat.
Invia pro thalamis nemorum deserta colebant,
Antraque furtivum sæpe cubile dabant.
Primus Hymen docuit lectum servare pudicum
Et statuit proprio quemque jacere toro.
Atque modum teneris cultus dedit ipse puellis,
Neve superciliis falleret ulla virum.
Tu populos genialis Hymen moderaris & urbes,
Tu facis unius corporis esse duos.
Templa petit Sponsus sacras ut firmet ad aras,
Promissam thalami numine teste fidem.
Et juxta celebri tendunt a stirpe PARENTES,
Præsidium NUPTÆ dulce piumque NOVÆ.
Te jam non ausim dulci versuque silere,
O Decus excellens, Præsidiumque meum!
Condita jam memori sub corde recentia servo,
Signa voluntatis non moritura tuæ.
Aspiciat vultu VOS jam fortuna sereno,
Auspicio felix tempus ut omne fluat.
Vivite felices, ex omni parte beati
Et vos fortunæ munera larga beent.

Paucula hæc Prænobilissimo Dno Sponso, Consuli Thorun. meritissimo Avunculo suo ætatem colendo gratulaturus apposuit

CHRISTIAN GOTTLIEB GUNDLICH



113212